



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

rimus. Facillime consuleretur pauperibus qui habitāt nobiscū, si quisq; singulis annis decimā bonorū apud se reponeret hic multum iuuaret & nihil sentiret sibi decedere, quid si in super tertio anno alteram reponeret decimam. Possent & ex his tributa solui principibus. Verum Christianis nihil hic præscribendū est qui semp sua oīa & se Christo debēt. Quā tamē uile foret ista prudentia inchoare quis nō uidet ex ista lege dei?

Vt benedicat, Id est, ut multiplicet & ditet te in oībus operibus tuis. Ex quo præter istam promissionem, & hoc clare uides, omnia opera manūū tuarum in quærēdo uictu, ut alia taceam, frustra fieri sine dei benedictione.

CAPVT XV.



Septimus dies, septimus annus, & septies septimus annus, id est quinquagesimus, erant deo sacri, ut agnoscas quare perfectionis numerus aut saltem multiplicatis sit septenarius nūerus in scripturis, ut illud, Septies in die laudem dixi tibi. Item, Eloquia tua argentū &c. Item, Septies cadet iustus &c. Item, Assumit septem alios spiritus nequiores se. Tria ergo sunt sabbata septenarij numeri. Primū, Sabbatum dierum quādo in singulis septimanis cessabatur ab opere eterno seruii die septimo. Secundū, Sabbatū annorū,

Tria Sabbata
7 → 25 → 31

quo septimo quoque anno qui erat completio unius hebdomadae annorum, dimittebantur debita & seruitutes. Tertium, Sabbatum sabbatorum post septies septem annos, quando redibant possessiones & quisque reddebatur suae familiae. Hoc sabbatum omnia habebat quae praecedentia, Hic erat annus quinquagesimus quem Iubileum Hebraei uocant, id est, annum remissionis. Primo, uacant corpora, ut mentes uacent deo, secundum illud, Vacate & uidete. Secundo, remittuntur debita & seruitus legis per fidem. Tertio, redimus ad id quod in Adam perdidimus per filiorum adoptionem. Non enim solum redimimur, sed etiam filij dei & heredes constituimur. Hic est Iubileus per Christum. Vnde Petro dicitur, Non solum septies, sed etiam septuagies septies. Hoc est quod Esaias. 58. dicit de sabbato. Et requiem dabit tibi dominus deus tuus semper &c. Et ultimo, Et erit sabbatum ex sabbato &c. Hoc uero aduerte ne uideamur literam despiciere, quae uoluerit dominus populo consultum his legibus. Primum secundum corpus & res externas. Nam tametsi benedictione sua promiserat se seruaturum & ditaturum eum populum, tamen & his legibus quasi ciuilibus eis consulebat, quae enim paupertas potuit esse in illo populo ubi ista seruabantur & summa legis aequitate siue moderatione oibus consulebatur? Deinde secundum salutem aeternam, ut ista beneficentia alij seruirent alijs &c. quibus & hoc

Hec addidit pmittendo dominus ut benediceret benedicentibus, id est, daret datibus. Id quod & hodie facit & secundū corpus & secundū animā. 2. Cor. 8. & 9.

A peregrino. Iudæi fratrem & proximū tantū habebant secundū Iudæū, qui tamen iuebantur benefacere extraneo ut supra dictum, qui cōvincuntur ex parabola, Lucæ. 10. etiam Samaritanum esse proximū &c. Quod uero extranei non gaudebāt ista tunc libertate, durū quidem uidebatur, sed pro gentibus ut supra diximus, Hec scripta sunt, quæ ut tunc non gaudebant legis externa libertate ita nunc quoq; nō astringuntur legis seruitute. Nunc, ut diximus, quia oēs sunt proximi nostri qui uerè sumus populus dei in uerq; iam sabbato, non licet nobis repetere nostra & contendere in iudicio &c. 1. Cor. 6. Matth. 5. Miniſtri autem legis & iuris sunt propter eos qui nondū sunt in isto euangelij Iubilæo.

Et omnino indigens.

Non extrudes indigentem sed dabis ut non indigeat & mendicet, alioqui mendicare licet illi qui non pōt sibi parare uictū. Hæc lex dānat omnes ordines mendicantium. Itaq; quod sanctissimū hactenus iudicauimus inuenimus nunc esse contra apertū dei præceptum. Ut interim de alijs taceam qui æque contra dei præceptū ex aliorum labore uiuere uolūt sine illorū utilitate, de quibus Paulus. 2. Tess. 3. Dignus enim est

operarius mercede sua, qui uero non laborat non man-
ducat &c. Damnat & omnes ciuitates quae Christianis
no gloriatur titulo q̄ turpem in fratribus permittit
mendicitatē, & perire fame sinunt qui mendicare ue-
rentur. Et singulis diuitibus. i. quibus superest quēad-
modū Christus dicit, precipitur, Si unus de fratribus
tuis &c. Vbi diligēter attēde quā uelit ex fide & cha-
ritate fieri elemosynam cum monet. Non obdurabis
cor tuū &c. Caue ne forte &c. Nec ages quippiā calle

Non deerūt, supra lex fuit quādo (de &c.
dixit. Et omnino indigēs &c. Hic praedicat qd' futurū
est. Hic nō opus est quāstioe quare deus nō oībus filijs
æqualiter prouideat. Tuo enī iudicio uidetur inæqua-
litas in prouidentia dei patris, Ceterū apud eū est æqua-
litas. Sicut enim diuites facit propter pauperes, ita &
pauperes facit propter diuites, ut illi misericordia &
liberalitate, isti patientia exerceatur, utriq; fide &c.

Fœnerabis.

Positum est pro mutuū dabis. Promissio est benedictio
nis domini, non lex. Quam propheta & apostoli ad
spiritū quoq; trahūt, si audierimus uocem domini dei
nostri abundabimus bonis spiritus & erimus domini
omniū peccati, mortis & inferorū, omnibus subiectis
nostris pedibus &c. Item dijudicabimus omnia, nos à

Cum tibi uenditus. (nullo &c.)

Ista est altera remissio septimi anni, opus certe non

Contemnēda charitatis in pijs dominis, & opus pro-
 uidentie dei erga seruos ne perpetuo à malis domi-
 nis præmerentur. De quibus & hoc præcipitur ne ua-
 cui dimittatur, & promissio additur sic facientibus,
 ut promissione deus trahat animum ne sola lex faciat
 hypocritā coacte faciētem. Et præterea ut nihil omit-
 tat addit. Memento &c. Ut cognoscas ita esse à te fa-
 ciendum fratri quemamodum fecit tibi deus, ut supra
 quandoq; dictum.

Duæ remissiones septimi anni diligentcr sunt no-
 bis in spiritu cogitandæ. Non solum enim dimittitur
 nobis debitū i. peccatū ex Adam, sed etiam ita libera-
 mur à legis seruitute & tyrannide ut amplius lex au-
 toritatem & ius dānandi nos non habeat ut maxime
 simus in nobis peccatores. Hæc est libertas in Christo.
 Felix conscientia quæ hanc intelligit.

Sin autem dixerit.

Lex ista libertatis pro seruis lata est. Vnde Paulus. Si
 potes liber fieri magis utere, si non potes non sit tibi
 cura. Recte ergo aufertur ab eo omnis libertas, ita ut
 neq; septimo anno neq; iubileo sit liber, qui libertatē
 dei audiens, propter suum cōmodū contempsit fieri
 liber. Iccirco & subula perforatur auris, ut signū ha-
 beat cōtra se nō audire dei libertatis. Ita & in spūali-
 bus fit, qui hodie quasi ipsis salutare sit utile & cōmo-
 dum contemnunt audire libertatem Christianam ma-

nent in perpetua conscientiarū uexatione & legis seruitute, iccirco & in morte. Vnde monet Paulus de spiritu libertate. Vos fratres in libertatem uocati estis, nolite serui fieri hominū, id est, ne periculo conscientie uestrae seruite ulli creature &c.

Primogenita masculina uult tantū deus, ut oīa sequentia agnoscerentur esse dei, cui iam consecrata erāt initia & talia initia in quibus esset semen posteritatis. Lex autem primogenitorū hominis respiciebat in Christū qui est primogenitus in multis fratribus, primogenitus ex resurrectione mortuorū, in quo nos oēs sumus oblati deo, sicut Israēlita in leui &c.

Non operaberis.

Vult ne fraus fiat sacerdotibus atq; adeo sibi qui ista iubet sibi offerri ut discant timere deum, & non incedere duplici corde in conspectu dei. Deinde ne quod agnoscimus donum dei in nobis uertamus in gloriam & lucrum nostrū, sed agnoscamus esse dei, datum nobis in utilitatem ecclesiae, id est, aliorū. 1. Cor. 12.

In conspectu.] intellige ut dictū cap. superiore.

Sin autem.

Hec lex significabat nihil esse quod natus es, si sis uitiosus, id est, non habeas fidē. Primogenitus erat Cain, primogenitus Esau sed abiecti sunt. Item primogenitus populus Israēliticus. Exo. 4. sed gentes apprehenderunt iustitiam Israēli incognitam. Ro. 9. &c.

Tam mundus] ut supra quandoq̄.

CAPVT XVI.

Lia erant principalia Iudeorum festa secundū legem, quæ non potuerunt celebrare nisi mūdi & in loco sancto quem elegerat dominus qui erat in Hierusalē, & in tēporibus statutis. Iccirco Iudæi hodie ut supra diximus talia nō habent, nisi contra legem quā adhuc se habere putant impie agere uelint. Ablatus est enim locus ille ut non maneret lapis super lapidem, secundū cōminationem Hiere. 7. & 3. Reg. 9. Primū erat phase, id est, transitus, nos pascha uocamus, in cōmemorationem beneficij dei q̄ exierant ex Aegypto, quādo ederant agnū noctu, cuius beneficio sanguinis tunc seruabantur ipsi ab angelo percutiente Aegyptiorū primogenita, id quod singulis annis edendo agnum representabant. Secundū erat festum Hebdomadū quod celebrabatur completis septem hebdomadis post pascha, siue post immolatos manipulos primitiarum ex spicis, nos uocamus pentecosten, quando acceperāt legem in Sina. Verum cum sæpe in lege huius festi mentio fiat, nusquā fit mentio acceptæ legis, neq; unq̄ aliquod festum in huius cōmemorationē institutū legitur, cuius ego rationem puto q̄ ratio sabbati siue festi cum ratione legis non conueniebat. Sab